



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Abbati Et Conventvi Bellae-Villae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

loci distantiam eidem Archiepiscopo grave sit ad vestram presentiam pro consequenda iustitia laborare, presentium vobis auctoritate mandamus, ut quoties necesse fuerit, ad locum congruum accedatis, & sine personarum acceptione, iustitia mediante, procedere non taretis. Nullis literis obstantibus, si qua apparuerint veritate tacita &c. Datum Romae apud sanctum Petrum.

ODONI TERDON. EPISCOPO.

Officij nostri debitum & sollicitudo requirit ut fratres & coepiscopos nostros in iustis debeamus petitionibus specialius exaudire, nec eorum sententias, quas in contumaces & rebelles duxerint rationabiliter promulgandas, permittamus temeritate qualibet violari. Cum igitur, sicut tua nobis insinuatio patefecit, multi religiosi tuae diocesis contra generale interdictum a te positum divina non metuant officia celebrare, fraternitati tuae auctoritate presentium duximus indulgendum, ut liceat tibi omnes tuae diocesis, salvis privilegiis & indulgentiis Rom. Pontificum, ad observantiam interdicti a te positi appellatione remota canonica distinctione compellere. Nulli ergo &c. Datum Romae apud sanctum Petrum.

GRADENSI PATRIARCHAE.

Si quando a fratribus & coepiscopis nostris a nobis requiritur quod a tramite rationis non deviet, eorum postulationi facilem nos convenit praebere consensum; ut eo fortius circa injunctum sibi officium intendere valeant, & in nostra devotione persistere, quod se a nobis benignius ac celerius senserint exauditos. Inde est quod cum Ecclesiam sancti Achindani apud Constantinopolim te habere proponas, quidam suffraganeorum tuorum decimas a parochianis ejusdem Ecclesiae, qui de tuis partibus ad eandem parochiam saepe domicilia transferunt, ea occasione instanter requirunt, quia patres eorum, avi, sive proavi, decimas ipsis aliquando persolverunt, & ad ipsas decimas extorquendas nonnunquam suos vicarios transmittere non formidant, non attendentes quod licet ipsi parochiani eorum aliquando fuerint, ex quo se ad alienam parochiam transtulerunt, manum non licet cuiquam in messem mittere alienam. Ideoque nos

indemnitati tuae sollicitè providere volentes, fraternitati tuae presentium auctoritate concedimus ut liceat tibi a parochianis praescriptae Ecclesiae tuae beati Achindani, non obstante quod eorum antecessores praedictis suffraganeis tuis, dum in ipsorum parochia permanebant, decimas persolverunt, liberè decimas percipere & tenere, nihilominus etiam jus conuentuale, quod in capellis Ecclesiae praenominatae tibi de jure comperit, sine contradictione cujuslibet de auctoritate nostra valeas exercere. Nulli ergo &c. Datum Romae apud sanctum Petrum 1 v. Non. Maij, Pontificatus nostri anno primo.

ABBATI ET CONVENTUI
Belle-Villae.

Cum a nobis petitur &c. usque ad verbum illud effectum. Ve igitur apostolici favoris obtentu religio vestra, Deo dante, grata in spiritualibus & temporalibus recipiat incrementa, statuimus ut vobis de concessione nostra sit licitum in locis in quibus competens fratrum numerus a vobis fuerit institutus, cum assensu dioecesanis Episcopi, sine detrimento juris alterius, oratoria sine cujuslibet contradictione construere, ubi fratribus morantibus cum familiis suis secundum statuta ordinis vestri divina valeant officia ministrari. Datum Romae apud sanctum Petrum Non. Maij, Pont. nostri anno primo.

E I S D E M.

Quanto creatori vestro sub religionis habitu astricti estis devotius famulari, tanto sollicitius nos convenit providere ne per immoderati oneris gravitatem aliquatenus possit in vobis monasticus profectus ordinis impediri. Accipimus autem vobis significantibus quod ab ipso domus vestrae foundationis primordio de fundatoris voluntate processit ut fratribus S. Irenaei procuracionem unam annis singulis liberaliter exhiberet, cum terras vel redditus non teneatis ab eis, propter quos hujusmodi procuratio ipsis debeat exhiberi. Verum tunc temporis propter fratrum & servientium paucitatem domum vestram exhibita procuratio non gravabat, cum fines levium non excederet expensarum. Sed nunc tantum ibi excrevit numerus servitorum & fratrum quod ad facien-

K ij

Epist. 132.
Quod omnes
religiosos sibi
subiectos licet
ad observantiam
interdicti com-
pellere, salvis
privilegiis
Romanorum
Pontificum.

Epist. 133.
Vi decimas a
sibi subiectis
parochianis re-
cipiat, nisi ha-
bitus sub alijs
Episcopis habi-
tarunt.

Epist. 134.
Quod licet ip-
sis cum consen-
su Episcopi, &
sine detrimento
alterius, orato-
ria extruere.

Epist. 135.
De procuracione
exhibenda
fratribus S. Ire-
naei.
Cap. Quanto.
De censib.